LIMEN GRAMMATICUM: 2. SECUNDA PARS SIVE SYNTAXIS GRAECÆ...



SECUNDA PARS

SIVE

SYNTAXIS

GRAECAE GRAMMATICES

VENETIIS
EX TYPIS PICOTTIANIS
M. DCCC XXI.

Librorum infinitus est numerus;
scribendorum nullus est finis.

PROOEMIUM.

Syntaxis cujuscumque Idiomatis est ratio, qua orationis partes inter se connectendae sunt. Ea vero duplex est, regularis scilicet et irregularis: prior communem loquendi rationem sequitur; posterior a communi loquendi consuetudine recedit. Utriusque Syntaxeos cognitio in unaquaque Lingua adeo pernecessaria semper habita fuit, ut nemo, qui eàdem caruerit, neque ad apte, concinneque loquendum, neque ad aliorum sensus pernoscendos unquam valuerit. Cum autem de graeca Lingua Librum Grammaticum hoc anno denuo typis tradiderimus, cumque Tirones ad ejusdem Linguae Syntaxim quoque nec nimia brevitate adstrictam, neque superflua prolixitate fusam evehere nobis libuerit, in hac elaboranda, eadem Gretseri vestigia quoad Emmanuelis Alvari Grammaticen persequentes, ad eam methodum, quam Johannes Baptista Cristinelli in prodeunda latinae Linguae Syntaxi, multis abhinc annis probatissima et fere ubique pervagata, sibi proposuit, nos quoque incubuimus. Duas igitur in partes hoc Opus ita partiti sumus, ut, omissis, vel leviter delibatis, quae cum regulari latinae Linguae Syntaxi concordant, primam Regulas generales, deinde Monita in easdem Regulas conscripserimus. At dum praedicta latinae Linguae Syntaxis, ut omnia praecepta nonnullis prophanorum Scriptorum exemplis illustraret, operam navavit,

nos, qui Juvenes fere omnes clericali veste indutos edocere tenemur, eadem praecepta ad praxim fere semper per loca, quae e sacra Scriptura, vel e Patribus primitivae Ecclesiae haurire potuimus, non sine gravi, longoque labore transferre studuimus. Hoc autem docendi ordine instituto, haud fallemur sperato profectus fructu, quod scilicet Adolescentes paucis pagellis clausum satis habeant, unde, si velint, ad ampliorem graecae Linguae cognitionem intelligentiamque propria industria capessendam quam facillime apti evadant. Cum denique modo hoc, modo illud Argumentum latino sermone prolatum Tironibus dictare Praeceptorum officium sit, ut ii per eorumdem Argumentorum versionem in graecum Idioma theoricam ad praxim revocare queant; eumque id et a Magistris quood Argumentorum inventum non sine gravi mentis defatigatione praestari possit, et Discipulis quoad Magistrorum verba auribus excipienda, calamoque notanda inutile prorsus fiat temporis impendium, nos duabus praedictis Syntaxeos Partibus tertiam, seu opus, quod tum iis, qui edocent, tum iis, qui edocentur, pergratum foret, addere studuimus, in qua nonnulla latius Themata, semper vel e sacra Scriptura, vel e sanctis Patribus eruta, quaeque juxta antedictas ejusdem Syntaxeos Regulas generales, necnon Monita, servata ordinis ratione, in graecum Idioma verti possint, congerere curavimus.

REGULAE GENERALES

IN GRAECAE LINGUAE SYNTAXIM.

REGULA I.

DE ARTICULO.

1. Cum Nomen substantivum ac adjectivum Articulo gaudet, haec Articuli iteratio plerumque distinctionem exprimit.

   Ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά: *Manus ejus dextera erat arida.*

2. Articulus Nominibus propriis personae saepissime praefigitur (1): si vero hujusmodi Nominibus aliud Substantivum, quod *Adpositum* vocari solet, addatur, Articulus Adposito tantummodo praemittitur (2).

   (1) Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος. *Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu.* (2) Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις παραγίνεται Ἰωάννης ὁ Βαπτιστής: *In diebus illis venit Johannes Baptista.*

3. Articulus Pronominibus possessivis semper adjicitur.

   Ἐπιμελεῖτε τῶν ψυχῶν τῶν ὑμετέρων. *Curam gerite de animabus vestris.*

4. Articulus Nominibus adjectivis neutrius generis praepositus eadem Nomina vi significationis in substantiva vertit.

   Φίλει τὸ καλόν. *Bonitatem dilige.*

5. Articulus neutrius generis Verbo modi infinitivi praefixus efficit, ut idem Verbum Nominis substantivi speciem induat (1); Articulus vero hoc in casu aliquando omittitur (2)

   (1) Τὸ μηδὲν συνόλως ἁμαρτάνειν ἴδιον τοῦ Θεοῦ: *Nihil omnino peccare proprium est Dei.* (2) Ἀρχὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν Θεόν: *Initium sapientiae est timere Deum.*

6. Articulus, cum post suum casum repetatur, vim exponentis habet, subintellecto fere semper Participio ὤν, *ens* (1). Dixi

fere semper, Participium enim alius Verbi, quod ex orationis contextu jam facillime patere poterit, interdum subintelligitur (2).

(1) Τὰς ἡδονὰς δίωκε τὰς (i. e. οὔσας) μετὰ καλοκἀγαθίας: *Voluptates sectare, quae sunt cum honestate.* (2) Πορεύου τὴν ὁδὸν τὴν (i. e. ἄγουσαν) πρὸς τὴν σωτηρίαν: *Ingredere viam, quae ducit ad salutem.*

7. Articulus, sequente casu genitivo Nominis proprii personae cum Articulo, vel sine, Nomina πατήρ, *pater*, μήτηρ, *mater*, υἱός, *filius*, θυγάτηρ, *filia*, aliaque hisce similia involvit.

Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου: *Jacobus filius Zebedaei.*

8. Articulo neutrius generis ac numeri pluralis, quem casus genitivus alius Nominis substantivi, quod non sit proprium personae, subsequitur, Nomen πρᾶγμα, *res*, per ellipsim (*) subauditur.

Ἀπόδοτε τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ. *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.*

9. Contextus orationis per hyperbaton (**) tum fit venustior, cum Articuli a suis casibus ita sejunguntur, ut aliud Nomen casus genitivi intercedat.

Οὐδέν ἐστι κακὸν, ὃ μὴ σβέννυσιν ὁ τοῦ Θεοῦ φόβος: *Nullum est malum, quod timor Dei non extinguat.*

10. Quoties post Nomen substantivum ejusdem Articulus repetitur, sequente Praepositione κατὰ cum alio substantivo casus accusativi, hae tria posteriora Adjectivi vicem gerunt.

Ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν ἡ μέριμνα πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

11. Articuli, sequente particula μὲν, *quidem*, in priore orationis membro, et δὲ, *vero*, in posterioribus, distributionem designant.

(*) Ellipsis est grammaticalis Figura, cum aliqua pars orationis deest.

(**) Hyperbaton est Figura grammaticalis, per quam partes orationis, neglecta earumdem regulari dispositione, varie inter se commutantur, aliis in alterum locum abeuntibus.

Ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δ' ἐργάται ὀλίγοι. *Messis quidem multa, operarii vero pauci.*

12. Articulus inter Praepositionem et Verbum modi infinitivi eleganter adhiberi solet.

Οὐδεὶς ἐστιν, ὁ μετὰ τὸ ἁμαρτεῖν ὑπὸ τοῦ συνειδότος οὐκ ἂν τύχῃ: *Nemo est, qui cum peccarit, a conscientiae morsibus minime vexetur.*

13. Articulus τὸ et Pronomen demonstrativum αὐτό, idem, numeri tum singularis, tum pluralis per crasim atticam in ταὐτό, vel ταὐτά contrahuntur, cui ταὐτό euphoniae causa additur ν, si sequens dictio a vocali, vel a diphthongo incipiat.

Νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν ταὐτὸ σχεδὸν ἀεὶ ἐστι: *Mortuum curare et senem monere idem fere semper est.*

REGULA II.

DE NOMINE SUBSTANTIVO.

1. Substantivum πρᾶγμα, negotium, praecedente vel subsequente Adjectivo, persaepe non exprimitur.

Ἰδοὺ, ὡς καλὸν καὶ ὡς τερπνὸν τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ ταὐτό: *Ecce, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.*

2. Substantivum vi syllepseos (*) Adjectivum diversi generis admittere potest.

Τέκνον φίλε, μὴ ἥδου ἐν ὁδοῖς ἀσεβῶν: *Care fili, ne delecteris in semitis impiorum.*

3. Adjectivo in eo casu, quem orationis contextus postulat, manente, ac ad neutrum genus redacto, ejusdem Substantivum una cum Articulo in casum genitivum verti potest.

Τὰ ἀπροσδόκητα τῶν ἀγαθῶν πολλὴν ἐπίτασιν τῆς ἡδονῆς ἐνεργάζεσθαι πέφυκε: *Improvisa bona magnum voluptatis augmentum operari solent.*

4. Cum duo Substantiva casus genitivi simul copulanda sint,

(*) Syllepsis est grammaticalis Figura, qua Partes orationis in aliquo attributo discordant, idque fit, cum non ad verba, sed ad eorum synonima respicitur: sic in praedicto exemplo φίλε non cum τέκνον, sed cum ejusdem synonimo υἱὲ concordatur.

posterius in casum accusativum cum Praepositione κατὰ, vel περὶ efferri potest.

Ὁ πένης ἐν ἀρετῇ ζῶν ἀπολαύει πάσης τῆς κατὰ ψυχὴν τρυφῆς: *Pauper virtuose vivens omnibus animae deliciis fruitur.*

5. Substantivo casus genitivi saepe Praepositio ἕνεκα, propter, deest.

Μὴ ῥαθυμίας κακοδαίμων ἴσθι: *Ne ob ignaviam infelix esto.*

6 Membrum aut Periodum a Nomine substantivo eleganter perficitur, cum huic Adjectivum, Verbumque praeponatur.

Οὐκ ἔστι τὴν ἀρετὴν μὴ πολλοὺς ἔχειν ἐχθρούς. *Non potest fieri, quin virtus multos habeat inimicos.*

7. Graeci nonnunquam more Hebraeorum pro Nomine adjectivo substantivum adhibent.

Ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι. *Sermo tuus veritas est.*

8. Quaedam Substantiva per emphasim (*) omittuntur, inter quae haec praesertim: ὁδὸς, via, μερὶς, vel μέρος, pars; ἡμέρα, dies; ἀπόφθεγμα, dictum; γνώμη, sententia, οἶκος, domus, εἷς, unus, ἡλικία, aetas; ὄντες, qui sunt, vel erunt; χρόνος, tempus.

Ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ (i. e. ὕδατος) Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae.

9. Substantiva, quae ad laudem vel vituperium pertinent, vertuntur in genitivum (1), vel dativum (2), vel accusativum cum Praepositione κατὰ minime expressa (3).

(1) Μωσῆς ἦν μεγάλου ἀξιώματος *Moses erat magnae auctoritatis.* (2) Ὁ τῇ γνώμῃ ἀγαθὸς πάντας ἀνθρώπους ἀγαπᾷ: *Qui animo bono praeditus est, omnes homines amat.* (3) Μόνοι εἰρηνικοὶ τὸν τρόπον υἱοί εἰσι τοῦ Θεοῦ. *Soli pacifici moribus filii Dei sunt.*

10. Substantiva, quae respondent ad quaestionem *Ex quanam materia?* postulant genitivum cum Praepositione ἐκ, de (1); quae vero respondent ad quaestionem *Quanam materia?* per dativum efferuntur (2), cui et Praepositio ἐν, in, addi potest (3).

(1) Θυσιαστήριον ἐκ γῆς ποιήσετέ μοι. *Altare de terra facietis mihi.* (2) Ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς *Ego quidem aqua baptizo vos.* (3) Εἴ τις τὸ θηρίον προσκυνεῖ ... βασανισθήσεται ἐν πυρὶ καὶ θείῳ *Si quis adoraverit bestiam.... cruciabitur igne et sulphure.*

(*) Emphasis est Figura grammaticalis, qua plus intelligendum relinquitur, quam exprimitur.

11. Substantiva, quae *respectum* exponunt, in dativo (1), vel accusativo cum Praepositione κατὰ subintellecta efferuntur (2).

(1) Ὅσονπερ ταῖς τιμαῖς τῶν ἄλλων προέχεις, τοσοῦτον καὶ ταῖς ἀρεταῖς τῶν αὐτῶν διαίσει: *Quanto aliis honoribus superior es, tanto et virtutibus iis excelles.* (2) Πάντα μὲν ἅμα σοφὸν οὐχ οἷόν τ' ἄνθρωπον εἶναι: *In omnibus rebus homo non potest esse sapiens.*

12. Substantiva, quae *causam*, *instrumentum*, ac *modum* actionis designant, dativum admittunt.

Πᾶν τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδέσιμον. *Quidquid vetustate antecellit, venerabile est.*

13. Nomina, quae *spatium loci* notant, accusativum sibi vindicant.

Ἐληλακότες ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε: *Cum remigassent quasi stadia viginti quinque.*

14. Substantiva, per quae *ars*, *pars*, ac *patria* nominantur, accusativum cum κατὰ fere semper minime expressa postulant.

Βέλτιόν ἐστι σῶμά γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν: *Melius est corpore, quam animo aegrotare.*

15. Substantiva *temporis*, quae respondent ad quaestionem *Quando?*, ponuntur in genitivo (1); quae vero respondent ad quaestionem *Quandiu?* in accusativo (2).

Ἐν τῷ νόμῳ Κυρίου μελετήσει ἡμέρας καὶ νυκτός: *In lege Domini meditabitur die ac nocte.* (2) Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας ἔσται ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς: *Filius hominis tres dies et tres noctes erit in corde terrae.*

16. Substantiva *dimensionis* in genitivo exponuntur.

Τὸ μῆκος τῆς δέῤῥεως τῆς μιᾶς τριάκοντα πήχεων: *Longitudo veli unius triginta cubitorum.*

17. Nomina *urbium* ac *regionum* fere semper cum Praepositionibus construuntur.

Ὡς γὰρ διεμαρτύρω τὰ περὶ ἐμοῦ εἰς Ἱερουσαλήμ, οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι: *Sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romae testificari.*

18. Pro ablativo, qui a Latinis dicitur *absolute positus*, Graeci genitivo utuntur.

Πάντων σοι πραγμάτων κατευοδουμένων, ἐκδέχου μεταβολήν: *Cum omnia tibi prospere cedant, mutationem expecta.*

19. Subjectum, in quod transit actio, ita initio orationis poni potest, ut absolute subsistere videatur: idque fit, cum ad eam dicendi rationem *quod attinet ad* etc. respondet.

Τοὺς υἱούς σου, σπούδαζε πεπαιδευμένους μᾶλλον, ἢ πλουσίους καταλιπεῖν: *Operam da, ut doctos potius, quam divites liberos tuos post te relinquas.*

REGULA III.

DE NOMINE ADJECTIVO.

1. Cum inter Substantivum et Adjectivum intercedit Verbum *εἰμί*, *sum*, vel aliud ex iis, quae *vocativa* dicuntur, Adjectivum venuste fieri potest neutrius generis, licet ejus Substantivum sit masculini vel foeminini, quo in casu praedictum Adjectivum cum Substantivo *πρᾶγμα*, minime expresso concordatur.

Ἡ ἀρετὴ λυσιτελές ἐστιν: *Virtus est utilis.*

2. Adjectiva neutrius generis absolute adhibita naturam Substantivi induunt.

Τοῖς μὲν φαύλοις ἐξαρκεῖ τὸ λυσιτελὲς, τοῖς δὲ σπουδαίοις καὶ τὸ καλὸν προσεῖναι δεῖ: *Improbis utilitas satis est, boni vero honestatem quoque addere debent.*

3. Adjectiva ceu Substantiva posita ac neutrius generis vertunt Substantiva, cum quibus concordare deberent, in casum genitivum: idque plerumque accidit, cum de Adjectivis *quantitatis*, ac de Pronominibus demonstrativis agatur.

Οὐ μικρὸν ὠφελείας μάλιστα τοῖς νεανίαις ἀεὶ προσήνεγκεν ἡ τῶν ἀγαθῶν φίλων ἐκλογή: *Non parum utilitatis praesertim juventibus semper attulit bonorum amicorum delectus.*

4. Adjectiva, quae *communionem*, *copiam*, *curam*, *desiderium*, *dignitatem*, *memoriam*, *scientiam* significant, nec non *ἄξιος*, *dignus*, iisque contraria genitivum post se adsciscunt (1). Huc adde Adjectiva *absolutionis*, *criminis*, *diversitatis*, *pretii*, numeralia ordinis, et quae cum particula *α* negativa componuntur (2).

(1) Πλήρης χάριτος, καὶ ἀληθείας: *Plenus gratia, et veritate.* — Ἐάν τις τὸ κακὸν ἐν προσχήματι τοῦ ἀγαθοῦ ποίῃ, τιμωρίας διπλασιονὰς ἐστιν ἄξιος: *Si quis scelus virtutis praetexu patrat, duplici poena dignus est.* (2) Ὅστις ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δ' ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

5. Adjectiva *partitiva*, ac illa, quae sunt Gradus comparativi vel superlativi, regunt genitivum (1). Quae vero sunt Gradus comparativi, sinuet quoque, ut subjectum, in quod cadit comparatio, in eumdem casum migret, cujus sunt ipsa, tumque Conjunctio ἤ, *quam*, intercedat necesse est (2).

(1) Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ: *Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum illo.* — Ὁ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ μείζων αὐτοῦ ἐστι· *Qui minor est in regno Dei, major est illo.* (2) Οὐδὲν ἕλκος μεῖζον, ἢ φίλος κακός: *Nullus majus ulcus, quam malus amicus.*

6. Adjectiva *similitudinis*, iisque contraria tum genitivum (1), tum dativum regere queunt (2).

(1) Ἐὰν εἴπω, ὅτι οὐκ οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν: *Si dixero, quod ipsum non norim, ero similis vestri.* (2) Οἴδαμεν, ὅτι ἐὰν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα: *Scimus, quod cum Christus manifestatus fuerit, similes ei erimus.*

7. Adjectiva *aequalitatis*, *commodi*, *incommodi*, *quantitatis*, atque a σύν, *cum*, vel ὁμοῦ, *simul*, composita poscunt dativum.

Πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ: *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.*

8. Adjectiva, quae *motum*, vel *scopum* indicant, admittunt accusativum cum Praepositione εἰς, vel ἐπὶ, vel πρός.

Ἡ τιμωρία ὀκνηροὺς τοὺς ἀνθρώπους πρὸς τὰ φαῦλα τῶν ἔργων ἀπεργάζεται: *Poena tardos ad prava opera reddit homines.* — Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· *Nemo, mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

9. Adjectiva neutrius generis, cujuscumque Gradus et numeri (1), necnon foeminini generis, quae in genere masculino ad secundam Declinationem Nominum simplicium attinent, in dativo posita Adverbiorum naturam induunt (2).

(1) Ἀσπάζονται ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ πολλά: *Multum vos in Domino salutant*. (2) Πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. *Omnia haec agit unus ille et idem Spiritus, distribuens privatim singulis, sicut vult.*

REGULA IV.

DE PRONOMINE.

1. Genitivus Pronominis personalis pro Pronomine possessivo fere semper usurpatur.

   Ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σου μιμνήσκου τὰ ἔσχατά σου: In omnibus tuis operibus novissima tua memento.

2. Pronomina primae ac secundae personae, cum sint casus nominativi, non exprimuntur, nisi discretive sumantur.

   Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με: Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonoratis me.

3. Pronomen personale casus accusativi, cum sit agens Verbi modi infinitivi, si ad eamdem personam, quae est agens praecedentis Verbi, referatur, minime exprimitur (1): Nomen vero, quod praedicto Verbo modi infinitivi subsequitur, fit ejusdem casus, cujus est agens principalis orationis (2).

   (1) Εὐεργετῶν, τὸν Θεὸν νόμιζε μιμεῖσθαι: *Cum benefacis, Deum te imitari putato*. (2) Κριτὴς ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι: *Judex ego horum nolo esse.*

REGULA V.

DE PRAEPOSITIONIBUS.

1. Novemdecim apud Graecos extant Praepositiones, treque in classes dividuntur: prima illas Praepositiones continet, quae cum uno tantum; secunda, quae cum duobus, tertia, quae cum tribus casibus construuntur.

2. Regunt tantummodo genitivum Praepositiones *ἀντί*, *pro*, *propter*; *ἀπό*, *a*, *ab*, *propter*; *ἐκ*, vel *ἐξ*, *e*, *ex*, *ἕνεκα*, *propter*; *πρό*, *ante*.

   Μὴ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδῶκας: *Ne malum pro malo reddas*.

3. Admittunt tantum dativum *ἐν*, *in*, *inter*; *σύν*, *cum* (1). Pro *σύν* vero, cum de personarum societate sermo sit, adhiberi potest etiam *πρός* cum accusativo (2).

   (1) *Πάντοτε σὺν Κυρίῳ ἐσόμεθα*: *Semper cum Domino erimus*. (2) *Βλαβεραὶ αἱ πρὸς τοὺς κακοὺς συνουσίαι*: *Perniciosa sunt sodalitia cum malis*.

4. Cum solo accusativo reperiuntur *ἀνά*, *per*; *εἰς*, *ad*, *in*, *inter*, *ob*.

   Πᾶν δένδρον, μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται: *Omnis arbor, non ferens bonum fructum, exciditur, et in ignem objicitur*.

5. Cum genitivo et accusativo reperiantur *ἀμφί*, *διά*, *κατά*, *μετά*, *περί* et *ὑπέρ*. *Ἀμφί* et *περί*, quarum prior est minus usitata, quam posterior, eamdem habent significationem. Hae vero Praepositiones cum genitivo valent *de*, *pro*, *propter* (1); cum accusativo *circa*, *propter* (2).

   (1) *Χριστὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε*: *Christus semel pro peccatis passus est*. (2) *Περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας*: *Circa quaestiones, verborumque pugnas*.

6. *Διά* cum genitivo sibi vult *per*, exprimitque causam efficientem vel instrumentalem actionis (1); cum accusativo *per*, *propter* (2).

   (1) *Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο*: *Omnia per ipsum facta sunt*. (2) *Χριστὸς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν*: *Christus traditus est propter offensas nostras*.

7. *Κατά* cum genitivo vertitur in *contra*, *de* (1); cum accusativo in *secundum* (2).

   (1) *Ἀγαπητοί, παρακαλῶ ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς*. *Dilecti, precor ut abstineatis a carnalibus cupiditatibus, quae militant contra animam*. (2) *Κατ' ὄψιν μὴ κρίνετε*. *Ne judicetis secundum faciem*.

8. *Μετά* cum genitivo significat *cum* (1); cum accusativo *post* (2).

   (1) *Ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ πανταχοῦ πάντα μετὰ μεγίστης οἰκονομεῖ σοφίας*. *Providentia divina ubique omnia summa cum sapientia administrat*. (2) *Μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι*. *Post triduum resurgam*.

924

9. Ὑπὲρ cum genitivo significat *de*, *pro*, *propter* (1); cum accusativo *supra* (2).

(1) Εἰ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον. *Non est discipulus supra magistrum*.

10. Cum genitivo, dativo, et accusativo jungitur ἐπὶ, παρὰ, πρὸς, et ὑπό. Ἐπὶ cum genitivo exprimit *coram*, *de*, *in*, *super*, *supra* (1); cum dativo *in*, *penes*, idest *in potestate*, *post*, *super* (2); cum accusativo *ad*, *in*, *super*, *supra* (3).

(1) Ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρος ἑστὼς εἰμι: *Coram tribunali Caesaris sto*. (2) Ἐφ' ἡμῖν οὐκ ἔστι τὸ ἀφανίσαι τὴν ῥίζαν τῆς πονηρίας τελείως. *Non est penes nos*, idest *in nostra potestate radicem malitiae prorsus tollere*. (3) Ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ: *Appropinquavit ad vos regnum Dei*.

11. Παρὰ cum genitivo habet vim Praepositionum *a*, *ab* (1); cum dativo *apud*, *prope* (2); cum accusativo *juxta*, *praeter*, *propter* (3).

(1) Ὑποτύπωσιν ἔχε τῶν ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας: *Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos a me audivisti*. (2) Παρὰ τῷ Θεῷ οὐκ ἔστι παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. *Apud Deum non est transmutatio, aut conversionis obumbratio*. (3) Θεμέλιον ἄλλο οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter illud, quod positum est, quod est Jesus Christus*.

12. Πρὸς cum genitivo significat *a*, *ob*, *contra*, *coram* (1); cum dativo *ad*, *apud*, *praeter* (2); cum accusativo *ad*, *adversus*, *apud*, *contra*, *cum*, *erga*, *inter*, *penes*, idest *in potestate* (3).

(1) Στέφανος λίθοις ἀνῃρεῖτο πρὸς τῶν κυριοκτόνων Ἰουδαίων: *Stephanus lapidibus interemptus est a Judaeis, qui Dominum occiderunt*. (2) Ὁ Πέτρος εἱστήκει πρὸς τῇ θύρᾳ ἔξω: *Petrus stabat ad ostium extra*. (3) Πρὸς τὸν Πατέρα μου πορεύομαι: *Ad Patrem meum vado*.

13. Ὑπὸ cum genitivo sibi vult *a*, *ab*, *prae*, *propter* (1); cum dativo *sub* (2); cum accusativo *sub*, qua Praepositione *subjectio*, vel *tempus* exprimitur (3).

(1) Μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ. *Ne vincaris a malo*, (2) Θεὸν μόνον

δεδοικέναι δεῖ, ὥστε μὴ ὑπὸ τοῖς ἐκείνου ὀφθαλμοῖς παράνομόν τι διαπράξασθαι: *Solus Deus timendus est, ne sub illius oculis crimen aliquod faciamur.* (3) Οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν: *Non sumus sub lege, sed sub gratia.*

REGULA VI.

DE VERBO IN GENERE.

1. Non omnia Verba impersonalia, ut fit apud Latinos, apud Graeces vertunt agentem in casum accusativum.

   Ὃς ἂν ἐπαισχυνθῇ με, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτόν: *Quem mei puduerit, pudebit illius et filius hominis.*

2. Verba personalia modi finiti utrinque nominativum admittunt, cum utrumque Nomen ad eamdem personam, sive rem pertineat: quod praesertim fit, quoties de Verbis vocativis agatur.

   Πολλάκις μικραὶ προφάσεις πλείστων κακῶν αἰτίαι γεγόνασι: *Saepe parvae accasiones plurimorum malorum causae fuerunt.*

3. Nomen neutrum numeri pluralis casus nominativi Verbum numeri singularis Attice desiderant.

   Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ Πατρός μου: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.*

4. Nomina *collectiva* numeri singularis construuntur, ut latina, cum Verbo, vel cum Participio numeri pluralis.

   Πλῆθος πολὺ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν: *Multitudo magna, audientes quae faciebat, venerunt ad eum.*

5. Plura Nomina, alia numeri singularis, alia vero pluralis ac casus nominativi, simul juncta, Verbum etiam numeri singularis regere possunt.

   Οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ: *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia aliqua poterit nos separare a charitate Dei.*

6. Cum Nomina, licet de duobus personis vel rebus sermo sit, fere semper numerum potius pluralem, quam dualem admittant, Verba quoque idem praestant: id autem necessario fit, cum Verbum exprimendum esset in prima persona numeri dualis vocis activae, qua persona omnia Verba praedictae vocis carent.

Τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται: *Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadent.*

7. Verba *intransitiva* vocis tum activae, tum passivae, versa in Participia, admittunt Verba substantiva ejusdem modi, temporis, numeri ac personae, ad quae eadem Verba intransitiva redigenda erant. Verba vero substantiva apud Oratores sunt γίνομαι, εἰμί, πέφυκα, τυγχάνω et ὑπάρχω, quae sunt synonima, omniaque significant *sum*.

Πάντων ἡγοῦμαι πονηροτάτους εἶναι, οἵ τινες, οἷς αὐτοὶ τυγχάνουσιν ὄντες ἔνοχοι, ταῦτα τῶν ἄλλων τολμῶσι κατηγορεῖν: *Omnium puto improbissimos esse, qui, quorum ipsi rei sunt, illa in aliis accusare audent.*

8. Verba, cum in orationis contextu duae negationes concurrant, vel vehementius negant (1), vel vehementioris affirmationis vim habent (2): quod posterius fit etiam cum duae affirmationes exprimantur (3). Denique eadem Verba, cum triplex negatio in eadem periodo adfuerit, quam fortissime negabunt (4).

(1) Χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν: *Sine me nihil potestis facere.* (2) Οὐ δυνάμεθα ἡμεῖς, ἃ εἴδομεν, καὶ ἠκούσαμεν, μὴ λαλεῖν: *Non possumus nos, quae vidimus et audivimus,* non loqui. (3) Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων ἔχει ζωὴν αἰώνιον: *Amen amen dico vobis, quod qui sermonem meum audit, habet vitam aeternam.* (4) Μή σε ἀνῶ, οὐδ᾽ οὐ μή σε ἐγκαταλείπω: *Neque te omittam, neque te deseram.*

9. Verbum ἐστί, *est*, saepe emphatice subintelligitur.

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν: *Avaritia est hominibus maximum malum.*

10. Verbum ἐστί, *est*, aliquando *licet*, vel *potest*, vel *fieri potest* significare solet.

Κατηγορεῖν οὐκ ἔστι καὶ κρίνειν ὁμοῦ: *Accusare et judicare simul non licet.* — Οὐκ ἔστι βίον εὑρεῖν ἄλυπον ἐν οὐδενί: *Nemo sine tristitia vitam agere potest.*

11. Verbo εἰμί, *sum*, pro ἔχω, *habeo*, utuntur et Graeci, adhibita casuum inversione, quae et a Latinis praestatur.

Οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα· *Non habemus luctam adversus sanguinem et carnem.*

12. Verba vocativa, et δοκέω, *videor*, pro agente, cum quo quoad numerum ac personam concordare debent, Nomen illud admittunt, quod est agens subsequentis Verbi modi infinitivi.

Μὴ ἡμεῖς οὐδαμῶς πώποτέ τινα ἀδικεῖν δοκῶμεν: *Ne ullo unquam tempore nos cuiquam injuriam fecisse videamur.*

REGULA VII.

DE VERBIS, QUAE POSCUNT CASUM GENITIVUM.

1. Verba *aberrandi*, *absolvendi*, *abstinendi*, *abundandi*, *admirandi*, *apprehendendi*, *concedendi*, *consequendi*, *contemnendi*, *curandi*, *desistendi*, *differendi*, *dissidendi*, *distandi*, *dominandi*, *egendi*, *frustrandi*, *gaudendi*, *implendi*, *incipiendi*, *liberandi*, *miserendi*, *negligendi*, *obliviscendi*, *obtemperandi*, *parcendi*, *participandi*, *privandi*, *prohibendi*, *sedandi*, *separandi*, *superandi*, quaeque *animi affectiones* significant, regunt Nomina casus genitivi.

Τῶν κακῶν ἀπέχου: *A malis abstineto.* — Αἰσχρὸν τῶν μὲν οἰκετῶν ἄρχειν, ταῖς δ' ἡδοναῖς δουλεύειν: *Turpe quidem est servis dominari, voluptatibus vero servire:* — Ὃς φείδεται τῆς βακτηρίας, μισεῖ τὸν υἱὸν αὐτοῦ: *Qui parcit virgae, odit filium suum* — Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

2. Nomina casus genitivi sequuntur a Verbis, quae *sensuum actionem* exprimunt (1)· deme Verba *videndi*, quae accusativum fere semper postulant (2).

(1) Ἄκουσον τοῦ Θεοῦ ἐν ταῖς ἐντολαῖς, ἵνα καὶ σοῦ αὐτὸς ἀκούσῃ ἐν ταῖς εὐχαῖς: *Audi Deum in mandatis, ut et ipse te audiat in precibus.* (2) Οὕτως ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.*

3. Verbum εἰμί, cum *esse negotium proprium*, vel *esse officium* significat, adhaeret et apud Graecos casui genitivo: verum ἐστί, sic sumptum, plerumque non exprimitur.

Σωφρόνων ἀνδρῶν τὸ μὴ κινδύνοις ἐπιῤῥίπτειν αὑτούς· γενναίων δὲ καὶ φιλοσόφων τοὺς ἐμπεσόντας φέρειν γενναίως: *Prudentum virorum est in pericula non se temere conjicere; generosorum vero ac philosophorum est, si pericula offeruntur, illa fortiter ferre.*

4. Verba *accusandi* construuntur cum genitivo personae (1), cui interdum subsequitur aliud Nomen casus accusativi cum κατά, *circa*, subintellecta (2).

(1) Ἔστιν, ὁ κατηγορῶν ὑμῶν, Μωσῆς: *Est, qui accusat vos, Moses.* (2) Κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά: *Accusabant eum summi sacerdotes* circa *multa.*

5. Verba *aestimandi*, *emendi* et *vendendi* poscunt genitivum pretii tum determinati (1) tum indeterminati, quod posterius effertur, ut apud Latinos, per adjectiva μεγάλου, *magni*, μικροῦ, *parvi*, πλείστου, *plurimi* etc. (2).

(1) Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; *Nonne duo passeres asse veneunt?* (2) Χριστὸς ἡμᾶς τοσούτου ἐτιμήσατο, ὡς μηδὲ τοῦ αἵματος φείσασθαι τοῦ ἑαυτοῦ: *Tanti nos Christus fecit, ut ne suo quidem pepercerit sanguini.*

6. Verbis, quae *cognitionem* vel *originem* indicant, casus genitivus cum Praepositione ἐκ, vel ἐξ, *de, e, ex*, subsequitur.

Ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς: *De qua natus est Jesus.*

7. Verba *damnandi* genitivum personae et accusativum rei (1), vel accusativum personae et dativum rei sibi adsciscunt (2).

(1) Λέγω δὲ τοῦτο οὐ πρὸς πάντας ὑμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἐμοῦ καταψηφισαμένους τὸν θάνατον: *Dico autem hoc non ad vos omnes, sed ad eos, qui me capitis damnarunt.* (2) Θανάτῳ ἀσχήμονι καταδικάσωμεν αὐτόν: *Morte turpissima condemnemus eum.*

8. Verba *petendi* et *rogandi* cum genitivo personae, et accusativo rei (1), saepius vero cum accusativo tum personae, tum rei construuntur (2).

(1) Κλεάρχου μηδὲν πώποτε ἐδεήθην: *A Clearcho nihil unquam petivi.* (2) Τίνα ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; *Quis ex vobis, cum sit pater, si petit filius panem, numquid lapidem dabit illi?*

9. Verba *recordandi* vel genitivum (1), vel accusativum admittunt (2).

(1) Ἐμνήσθη ὁ Πέτρος τοῦ ῥήματος τοῦ Ἰησοῦ: *Recordatus est Petrus verbi Jesu.* (2) Ἐμνημόνευσεν ὁ Θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς: *Recordatus est Dominus iniquitatum ejus.*

10. Verba impersonalia δεῖ, *opus est*, διαφέρει, *interest*, μέλει, *curae est*, πρέπει ac προσήκει, *decet*, et χρή, *oportet*, cum genitivo rei et dativo personae copulantur.

Εὐχῆς ἡμῖν δεῖ. *Precibus nobis opus est.* — Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ, *Num Deo boves curae sunt?*

11. Quaedam Verba saepe genitivum regunt ratione Praepositionum ἀπό, *ab*, vel ἐκ, vel ἕνεκα, *propter*, vel περί, *de*, quae supprimuntur.

Ὅταν ἴδῃς λιμοὺς γενομένους καὶ λοιμούς, μὴ δυσχεράνῃς, ἀλλὰ προσκύνησον τὸν ποιοῦντα, θαύμασον αὐτὸν τῆς κηδεμονίας. *Si videris famem et pestem immitti, ne indigneris, sed immittentem adoro, mirare ejus curam.*

12. Multa Verba regunt genitivum vi Praepositionum, cum quibus componuntur.

Οὐ κακῶν δεῖ ἀπέχεσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ἀγαθῷ κομᾷν: *Non solum a malis obstinere, sed etiam bonis ornori debemus.*

13. Verba passiva fere semper genitivum, praecedente ἀπό, vel ὑπό, *a*, *ob*, admittunt (1). Dixi *fere semper*, interdum enim vertunt praedictum genitivum in dativum, idque non raro fit, cum per hunc casum Nomen personale exprimendum sit (2).

(1) Εἰ ὑπὸ φίλων ἐθέλεις ἀγαπᾶσθαι, τοὺς φίλους εὐεργέτει: *Si ob amicis diligi vis, amicos beneficiis affice.* (2) Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις: *Audistis, quid dictum fuit ab antiquis.*

REGULA VIII.

DE VERBIS, QUAE CASUM DATIVUM POSTULANT.

1. Cum dativo construuntur Verba *adorandi*, *adulandi*, *auxiliandi*, *colloquendi*, *comitandi*, *confidendi*, *consulendi*, *conversandi*, *favendi*, *hortandi*, *incidendi*, *irascendi*, *juvandi*,

laedendi, *precandi*, *reprehendendi*, *sequendi*, *et utendi*.

Οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσι τῷ Πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*. — Τῷ Θεῷ ὁμιλοῦμεν τῷ καιρῷ τῆς προσευχῆς: *Tempore orationis cum Deo colloquimur*. — Ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί: *Secutae sunt eum turbae multae*.

2. Verba *accedendi*, *admonendi*, ac *certandi* tum dativum (1), tum accusativum cum Praepositione πρός admittunt (2).

(1) Προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ: *Accesserunt ad eum discipuli ejus*. (2) Πρὸς ὃν προσερχόμενοι λίθον ζῶντα .... καὶ αὐτοί, ὡς λίθοι ζῶντες, οἰκοδομεῖσθε: *Ad quem accedentes lapidem vivum .... et ipsi, tanquam lapides vivi, superaedificamini*:

3. Nonnulla Verba vi Praepositionum, e quibus constant, dativum sibi adsciscunt. hujusmodi Praepositiones potissimum sunt ἀντί, *pro*, ἐν, *in*, ἐπί, *super*, παρά, *apud*, πρός, *ad*, σύν, *cum*, ὑπό, *sub*.

Οὐ χρὴ συνάγειν εἰς ταὐτὸ τὰ κάλλιστα τοῖς αἰσχροῖς: *Honestissima una cum turpibus minime conjungenda sunt*.

REGULA IX.

DE VERBIS CASUM ACCUSATIVUM ADMITTENTIBUS.

1. Verba *blandiendi* et *pudendi* cum accusativo construuntur.

Μὴ κολάκευε σου τὴν σάρκα ὕπνοις, καὶ λουτροῖς, καὶ μαλακοῖς στρώμασι: *Ne blandiaris carni tuae somnis*, *balneis*, *et delicatis stragulis*. — Οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ Εὐαγγέλιον: *Non me pudet Evangelii*.

2. Verba passiva frequenter atque eleganter suorum activorum accusativum retinent.

Ἦν Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου. *Indutus erat Johannes pilis cameli*.

3. Verba *celandi*, *docendi*, *exigendi*, *exuendi*, *interrogandi*, et *vestiendi* geminos accusativos, alterum scilicet personae, alterum rei, cui posteriori fere semper Praepositio κατά, *circa*, subintelligitur, postulant.

Ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς πολλά: *Multa eos per parabolas docebat.* — Καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν: *Et induerunt eum purpura.*

4. Quaedam Verba ob Praepositionem minime expressam, quae persaepe est *κατά*, *secundum*, regunt accusativum.

Οἷς τις ὁμιλεῖ συνεχῶς, τούτοις ἀφομοιοῦται τὸ ἦθος: *Cum quibus aliquis assidue versatur, iis moribus similis redditur.*

5. De caeteris Verborum constructionibus quoad casus consulendi sunt Lexicographi, e quibus illae brevius constabunt, quam e Regulis, quas omnes hoc loci tradere perlongissimum foret.

REGULA X.

DE VERBORUM MODIS.

1. Verba *prohibitiva* per modum imperativum, praecedente *μή*, *ne*, efferri solent.

Μηδενὶ πράγματι πονηρῷ μήτε παρίστασο, μήτε συνηγόρει: *Nulli iniquae rei neque patrocineris, neque eam defendas.*

2. Pro modo imperativo optativus temporis aoristi primi nonnunquam adhibetur.

Δεινὸν ἡγήσαιο τοὺς χείρους τῶν βελτιόνων ἄρχειν, καὶ ἀνοητέρους τοῖς φρονιμωτέροις προστάττειν: *Absurdum puta pejores praestantioribus; et stultos sapientioribus imperare.*

3. Verba *timendi* postulant, ut Verbum subsequens, quod respondet ad quaestionem *Quid?* per modum conjunctivum eo pacto efferatur, quo et apud Latinos exprimitur.

Εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν: *Timens tribunus, ne discerperetur Paulus ab illis.*

4. Verba modi conjunctivi vel ante, vel post se fere semper Particulam expletivam *ἂν* admittunt.

Ἀνάγκη τοὺς ἀνθρώπους τοιαῦτα πάσχειν, οἷάπερ ἂν καὶ ἄλλους δράσωσι: *Necesse est homines talia pati, qualia ipsi et aliis fecerint.*

5. Verbum, quod *scopum* significat, sive quod ad quaestionem *Ad quid?* respondet, per modum quidem infinitivum (1), saepius

vero per optativum, praecedente conjunctione ἵνα, *ut*, effertur (2).

(1) Ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν: *Ego misi vos, ut meteretis.*
(2) Δὸς πτωχοῖς, ἵνα ἔχῃς ἐφόδιον πρὸς τὴν αἰώνιον ἀπόλαυσιν: *Da pauperibus, ut viaticum habeas ad aeternam fruitionem.*

6. Verba *accidit*, *evenit*, hisque similia efferunt Verbum subsequens, quod respondet ad quaestionem *Quid?* per modum infinitivum.

Ἐν δὲ τῷ πορεύεσθαι ἐγένετο αὐτὸν ἐγγίζειν τῇ Δαμασκῷ: *Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco.*

7. Verba δεῖ, χρή, *oportet*, hisque similia postulant, ut Verbum subsequens eo pacto efferatur, quod in praecedente Regula traditum fuit.

Ἀνάγκη γάρ ἐστι ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα: *Necesse est enim, ut veniant scandala.*

8. Ea dicendi ratio, quae a Latinis per Participium temporis futuri activi, sequente Verbo *sum*, exprimitur, a Graecis effertur vertendo praedictum Participium in tempus praesens modi infinitivi, cui additur Verbum μέλλω, *futurus sum*, ejusdem modi, temporis, numeri ac personae, quorum est Verbum *sum*.

Εἰ ἕκαστος, ἀφ' οὗ ἐκτίσθη ὁ Ἀδάμ, ἕως ἐπὶ τῆς συντελείας τοῦ κόσμου, ὑπέμεινε τὰς θλίψεις, οὐδὲν μέγα ἐποίει πρὸς τὴν δόξαν, ἣν μέλλει κληρονομεῖν εἰς τοὺς ἅπαντας αἰῶνας: *Si quis, ex quo Adam conditus est, usque ad finem mundi cruciatus pertulisset, nihil magni fecisset respectu gloriae, cujus heres facturus est per totam aeternitatem.*

9. Verba modi infinitivi εἶναι et γίνεσθαι, *esse* vel *fieri*, postulant, ut Nomen, quod iis subsequitur, sit ejusdem casus, cujus est Nomen praecedens, ad quod posterius refertur.

Οὐκ ἐνδώσομεν πρόφασιν οὐδενὶ γενέσθαι κακῷ: *Nemini occasionem dabimus se fieri malum.*

10. Latini, ut crebram (sic ait Alvarus Emmanuel) et molestam modi infinitivi repetitionem vitarent, eas Verborum partes excogitaverunt, quae ab iis *supina* vocatae fuere. Graeci vero, cum iisdem careant, ad illa exprimenda aoristis modi infinitivi vocis activae vel mediae utuntur.

Οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν: *Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.*

REGULA XI.

DE VERBÓRUM TEMPORIBUS.

1. Tempora futura modi indicativi vocis tum activae, tum passivae in tempus praesens modi infinitivi verti possunt, praemisso Verbo *μέλλω* ejusdem modi indicativi, at temporis praesentis.

   Μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων; Tradetur filius hominis in manur hominum.

2. Tempora futura modi infinitivi per Enallagen (*) in aoristos ejusdem modi non raro vertuntur.

   Ἅπερ αὐτὸς τοῖς γονεῦσι δράσεις, ταῦτα προσδέχου παθεῖν καὶ αὐτός Quae ipse parentibur facies, eadem expecta pasurus et tu.

3. Inter ea tempora, quibus actio praeterita exprimitur, Graeci aoristo primo saepissime utuntur.

   Ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με. Infirmur fui, et visitastis me.

4. Uterque aoristus per Enallagen atticam pro tempore praesenti saepe adhibetur, idque praesertim evenit, cum Verbum sit modi infinitivi.

   Ἐπιποθῶ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς; Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos.

5. Aoristi in modo conjunctivo exprimunt etiam actionem futuram.

   Ὅταν οὖν ἔλθῃ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις, Cum igitur venerit dominus vineae, quid faciet agricolis istis?

REGULA XII.

DE GERUNDIIS.

1. Latinorum Gerundia in *di*, *do*, *dum*, a Graecis, qui illis

---

(*) Enallage, i e permutatio, est grammaticalis Figura, qua pars una orationis pro alia adhibetur.

carent, per modum infinitivum una cum Articulorum ac Praepositionum adminiculo, prout orationis contextus postulat, efferuntur (1): qui Articuli aliquando supprimuntur (2)

(1) Οὐδὲν ἀπίστως ἐπράξαμεν τοῦ νικῆν ἕνεκα. *Nihil perfide agemus vincendi causa*. (2) Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. *Potestatem habeo deponendi animam, et potestatem habeo rursus assumendi illam*.

2. Pro Gerundio in *dum*, cum *necessitatem* aut *officium* significat, Graeci Verbali in τέος (*) una cum Verbo ἐστί, fere semper omisso, utuntur, quod Verbale praeter dativum personae casum sui Verbi assumit (1). Idem vero Verbale quoad genera, numeros et casus more Nominum adjectivorum etiam moveri potest (2).

(1) Ἀρετῆς ἡμῖν ἐπιμελητέον: *Virtuti nobis studendum est*. (2) Ἀεὶ ζητητέα ἡμῖν ἡ δικαιοσύνη: *Justitia nobis semper quaerenda est*.

REGULA XIII.

DE PARTICIPIIS.

1. Pro Verbo vocis tum activae, tum passivae, modi indicativi, temporis praesentis vel imperfecti Participium ac Verbum εἰμί, utrumque ejusdem temporis, more Hebraeorum, adhiberi potest.

Ἦν διδάσκων αὐτοὺς, ὡς ἐξουσίαν ἔχων: *Docebat eos, ut auctoritatem habens*. — Οἱ τὸν Χριστὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς, ποικίλοις τρόποις τοῦ Πνεύματος εἰσὶν ὁδηγούμενοι. *Qui Christum in seipsis habent, variis modis a Spiritu aguntur*.

2. Verbo cujuscumque vocis, modi indicativi, temporis praesen-

(*) Verbale in τέος fit e tertia persona singularis numeri praeteriti perfecti modi indicativi vocis passivae, omissis tum augmento, tum prima reduplicatione, si adfuerit, et mutata finali diphthongo αι in έος, έα, έον. *Hanc Regulam, cum in nostro Grammatico Lumine memoriae defectu omiserimus, hic necessario tradendam esse arbitrati sumus*.

tis aut imperfecti, praecedente Latinorum Conjunctione *cum*, vel quorum agens est Pronomen relativum ὅς, *qui*, hoc omisso, verti possunt in Participia ejusdem vocis ac temporis, articulis fere semper praemissis, servatisque concordantiae Regulis, quae a regulari latinae Linguae Syntaxi statutae sunt: haec omnia quoque praestanda erunt, cum Verba alius temporis in Participia, mutatis mutandis, transferre libuerit.

Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες: Non opus habent medico, qui bene, sed qui male se habent.

3. Verbum modi infinitivi attice transit in Participium illius generis, numeri, et casus, quorum est agens principalis orationis (1): id vero praesertim fit, cum de Verbis *desistendi*, *inveniendi*, *perseverandi*, nec non de iis, quae *affectionem animi*, vel *notitiam* significant, agatur (2).

(1) *Διὰ παντὸς χρόνου τὴν ἀλήθειαν φαίνου προτιμῶν: Semper ostende te veritatem pluris facere.* (2) Ὁ δὲ Πέτρος ἐπέμενε κρούων: *Petrus vero perseverabat pulsare.*

4. Participia eosdem casus regunt, quos Verba, a quibus proficiscuntur (1): cum vero Nominum naturam suscipiunt, tum genitivum adsciscunt (2).

(1) Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ Ἀρνίῳ. *Hi sunt, qui sequuntur Agnum.* (2) Ὁ τῆς δικαιοσύνης ἀτυχῶν ἄθλιος. *Qui justitia nudus est, est miser.*

5. Cum duo Verba simul junguntur, prius in Participium fere semper temporis aoristi eleganter immutatur.

Πορευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ Πάσχα. *Ite, parate nobis Pascha.*

REGULA XIV.

DE ADVERBIIS.

1. Adverbiis Articulus per pleonasmum (*) nonnunquam praemittitur (1); eadem vero interdum Nominum naturam induunt (2).

(*) Pleonasmus saepissime potius Vitium, quam Figura grammaticalis est, per quam supervacaneis verbis oratio oneratur. *Vide Calepinum septem Linguarum*

986

(1) Πάντας τοὺς ἀνθρώπους εὐεργέτει, καὶ τὰ μάλιστα τοὺς ἐχθρούς σου: *Beneficiis omnes homines affice, et maxime tuos hostes.* (2) Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

2. Adverbia a Nominibus adjectivis derivativa retinent casus suorum primitivorum.

Παρακαλῶ ὑμᾶς ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθητε. *Precor vos, ut ambuletis, ut convenit vocationi, qua vocati estis.*

3. Adverbia ἰδὲ et ἰδοὺ, *ecce*, regunt Nomen, vel Pronomen casus nominativi.

Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

4. Quaedam Adverbia *copiae*, *inopiae*, *loci*, *separationis*, *similitudinis*, ac *temporis*, nec non illa, quae quarumdam Praepositionum naturam induunt, genitivo adhaerent.

Θαύματα ἐργάζεται ὁ Θεὸς πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης: *Deus ubique miracula operatur.* — Ἡ πίστις χωρὶς ἔργων νεκρά ἐστιν: *Fides sine operibus mortua est.*

5. Cum Dativo construuntur Adverbia *congregandi*, nempe ἅμα et ὁμοῦ, *simul*.

Μήποτε συλλέγοντες ζιζάνια, ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον: *Ne colligentes zizania, eradicetis simul cum iis triticum.*

6. Adverbia *hortandi* ac *prohibendi* eosdem modos, quoad Verba, quos apud Latinos, saepissime postulant: at pro tempore praesenti fere semper unum ex aoristis admittunt.

Ἄγε οἱ πλούσιοι κλαύσατε: *Age, divites, flete.* — Μὴ μιάνῃς τὴν ψυχὴν πονηροῖς λογισμοῖς: *Ne coinquses animam pravis cogitationibus.*

7. Adverbia *optandi*, quoties de actione praeterita agitur, cum modo indicativo construuntur (1); cum optativo vero, quoties de actione praesenti, vel futura sermo habetur (2).

(1) Ὄφελόν γ' ἐβασιλεύσατε, ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν: *Utinam regnavissetis, ut et nos vobiscum regnaremus.* (2) Εἴθε μοι εὖ μάλα πᾶσαι ἐπιθύνοιντο κέλευθοι: *Utinam mihi aptime omnes dirigantur viae!*

8. Ἕως, *quamdiu*, *dum*, *donec*, omnibus modis, imperativo excepto, jungitur (1). Hujusmodi vero Adverbium cum Verbo modi conjunctivi vel optativi postulat Conjunctionem ἂν (2).

(1) Ἕως τὸ φῶς ἔχετε, πιστεύετε εἰς τὸ φῶς, ἵνα υἱοὶ φωτὸς γένησθε: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* (2) Οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου: *Nequaquam obieritis urbes Israel, donec venerit filius hominis.*

9. Μέχρι, *donec*, cum Articulo casus genitivi, neutrius generis, et Verbo modi infinitivi jungitur.

Κακοήθης ἄνθρωπος ἅπασι, μέχρι τοῦ τυχεῖν, ὧν δεῖται, φίλος ἐστὶ, μετὰ ταῦτα δ' ἐχθρὸς γίνεται. *Male morosus homo omnibus, donec consequatur, quae rogat, amicus est, dein fit inimicus.*

10. Πρὶν et πρὶν ἢ, *antequam*, cum Verbo modi indicativi vel infinitivi copulantur.

Πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ: *Priusquam ter neges.* — Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι: *Antequam Abraham esset, ego sum.*

11. Ad exprimenda Latinorum Adverbia *tam*, *quam*, vel *ita*, *ut* Graeci Adverbia οὕτως, ὡς adhibere solent.

Οὐδὲν οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὡς τὸ συνειδὸς καθαρὸν καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί: *Nihil tam nos exhilarare solet, quam conscientia pura et bonae spes.*

REGULA XV.

DE INTERJECTIONIBUS.

1. Εἴθε, *utinam*, Interjectio *optandi* casum dativum, modumque optativum saepissime postulat.

Εἴθε μοι κέλευθοι ἰθύνοιντο. *Utinam mihi viae dirigantur.*

2. Εὖγε, *euge*, et ἰὴ, *ia!* Interjectiones *blandiendi* et *acclamandi*, cum Nomine vel Pronomine casus vocativi junguntur.

Εὖγε ἀγαθὲ δοῦλε. *Euge serve bone.*

3 Μὰ et νὴ, *per*, Interjectiones *jurandi*, casum accusativum adsciscunt.

Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν: *Per gloriationem vestram.*

4. Οἴ, *hei!* Interjectio *dolendi*, cum casu nominativo vel accusativo, frequentius vero cum dativo construitur.

Οἴ μοι, ὅτι ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη: *Hei mihi, quo peregrinatio mea prolongata est!*

5. Οὐαί, *vae*, Interjectio *male minantis*, vel *abominantis*, casui dativo adhaeret.

Οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς: *Vae vobis, scribae.*

6. Φεῦ, *heu! o!* Interjectio *admirandi*, casui genitivum admittit.

Φεῦ τῆς ἀλλαγῆς: *Heu commutationem!*

7. Ὦ et ὤ, *o!* Interjectiones *exclamandi*, modo cum casu nominativo (1), modo cum genitivo (2), modo cum vocativo repetiuntur (3).

(1) Ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ: *O stulti et tardi corde!* (2) Ὦ τῆς μανίας: *O insaniam!* (3) Ὦ Κύριε. *O Domine!*

REGULA XVI

DE CONJUNCTIONIBUS.

1. Cum duae vel plures orationis partes, quae ejusdem qualitatis sint, simul connectendae sunt, Conjunctio τέ, *et*, priorem fere semper subsequitur, caeteris vero alia Conjunctio καί, *et*, praemittitur.

Ἴσον ἁμαρτία καὶ ἀμαθία μέμφεσθαί τε τὰ ἐπαινετά, καὶ ἐπαινεῖν τὰ μεμπτά: *Simile peccatum et inscitia est reprehendere, quae laudanda sunt, et laudare, quae vituperanda sunt.*

2. Ἄν est Conjunctio vel conditionalis, vel potentialis: utpote conditionalis latinae Conjunctioni *si* respondet, verbumque modi conjonctivi postulat (1); utpote potentialis efficit, ut Verbum, quod ab illa regitur, vim *potentiae* implicite acquirat, idemque per omnes modos, per optativum tamen et conjunctivum praecipue effertur (2).

(1) Τὰ ὑμέτερα κομιεῖσθε, ἂν Θεὸς θέλῃ: *Si Deus velit, vestras opes recuperabitis.* (2) Πᾶς, ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται: *Quisquis nomen Domini invocare poterit, salvabitur.* — Πῶς ἂν τολμῷμεν ἔξαρνοι εἶναι τὸ καλὸν μὴ καλὸν εἶναι, *Quomodo possemus inficiari honestum esse, quod honestum est?*

3. Si e duobus incisis, quibus oratio constat, prius cum Latinorum Conjunctione *si* incipiat, posteriori vero eadem defuerit,

tum *si* in *si* vertitur, ac Conjunctio ἂν in subsequente inciso intesseritur, verum ad hanc distinctionem maxime incumbendum est: vel utrumque e praedictis incisis tempus imperfectum modi optativi continet, vel utrumque ex illis tempus plusquam perfectum ejusdam modi involvit: si primum, tempara imperfecta modi optativi in imperfecta indicativi transeunt (1); si secundum, tempora plusquam perfecta optativi in eadem tempara, vel elegantius in aoristos indicativi migrant (2).

(1) Εἰ ἐπιστεύετε Μώσῃ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί. *Si Mosi crederetis, etiam mihi crederetis.* (2) Εἰ ἐγνώκειτέ με, καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν: *Si cognovissetis me, et patrem meum cognovissetis.*

4. Eadem Conjunctio ἂν postposita Verbis modi infinitivi, temporis fere semper praesentis, eam vim habet, qua apud Latinos Verba modi infinitivi, temporis futuri, vocis activae gaudent.

Μὴ νόμιζε ἀληθῶς εὐδαιμονεῖν ἄν, εἰ μὴ καὶ χρηστὸς ἔσῃ: *Ne putes te vere felicitate fruiturum esse, nisi et probus fueris.*

5. Ἐάν, *si*; ἐπειδάν, *quandoquidem*; κἄν, *etsi*; ὁπόταν, ὅταν, *quum, si, quando*, cum modo conjunctivo usurpantur.

Ἐάν τι αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐγὼ ποιήσω: *Si quid petieritis in nomine mea, ega faciam.* — Ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

6. Εἰ, *si*, modum tum indicativum (1), tum conjunctivum (2), tum optativum admittit (3).

(1) Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλε σεαυτὸν κάτω: *Si filius Dei es, dejice teipsum deorsum.* (2) Εἴ τις ἔλθῃ περὶ πράγματος βελτίστου βοήθειαν παρὰ σοῦ αἰτήσων, παραυτίκα τε, καὶ προθύμως αὐτῷ βοήθει. *Si quis venerit opem de re optima a te petiturus, statim, promptoque animo ei opitulator.* (3) Εἴ τις μὴ τρέφοι τοὺς γονεῖς, ἄτιμος: *Si quis parentes non alit, infamis esto.*

7. Ἐπεί, ἐπειδή, *postquam, quoniam*, cum modo indicativo tantum construuntur.

Ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους, ἐπειδὴ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον: *Timuerunt turbas, quoniam ut prophetam eum habebant.*

8. Ἵνα, ὅπως, ὡς, ὥστε, *ut*, fere semper cum modo conjunctivo copulantur.

Οἱ δίκαιοι θλίβονται, ἵνα στεφανῶσι· οἱ δ' ἁμαρτωλοί, ἵνα τῶν ἁμαρτιῶν δίκην ἐκτίσωσι. *Justi affliguntur, ut coronentur, peccatores vero, ut peccatorum poenas dent.*

9. Μὲν, *quidem*, in priore orationis membro, et δὲ, *vero*, in posteriore ad discretionem notandam eleganter adhiberi solent.

Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν· ὁ δ' ὀπίσω μου ἐρχόμενος, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.*

10. Μὴ, *ne*, cum sit Conjunctio prohibitiva, modum tum imperativum, (1) tum conjunctivum postulat (2): hunc vero posteriorem modum tantummodo admittit, cum significat *ut non* (3).

(1) Μὴ λάλει, πρὶν ἂν τοῖς παρὰ σοῦ λαληθησομένοις τὸν νοῦν προσχῇς; *Ne loquitor, priusquam ea, quae tibi dicenda sunt, perpenderis.* (2) Μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, *Ne falsum testimonium dicas.* (3) Βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ: *Videte ne quis vos seducat.*

11. Ὅτι, *quod*, modo indicativo, quandoque vero optativo gaudere solet.

Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

MONITA
IN PRAEDICTAS REGULAS GENERALES.

IN REGULAM II.

1 Nomina substantiva, quae *materiam* exprimunt, dummodo cum nullo Adjectivo copulentur, in eorum derivativa Adjectiva verti possunt, servato canone, quem de concordantia Adjectivi cum Substantivo regularis Syntaxis tradit.

Ὅτιοῦν χρυσοῦν τε, καὶ ἀργυροῦν, καὶ χαλκοῦν, καὶ μαρμάρινον, καὶ διαλίθον κτίζεσθαι οἷόν τ' ἐστιν: *Quidquid ex auro, et argento, et aere, et marmore, et gemmis fabricari potest.*

2. Nomina, quae *causam* exprimunt, etiam casu genitivo cum ὑπό, *ab* (1), vel accusativo cum διά, *propter*, gaudent (2).

(1) Πάντα τὰ δεινὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὑπόμενε. *Omnes aerumnas propter Deum sustine.* (2) Ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων: *Ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum.*

3. Nomina, quibus *modus* indicatur, in casum accusativum interdum vertuntur.

Ὡς Σόδομα, καὶ Γόμοῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι: *Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimae civitates simili modo exfornicatae.*

4 Nomina, per quae *pars* notatur, aliquando casum dativum cum ἐν, *in*, admittunt.

Ἄρχοντες ἐν χερσὶν αὐτῶν ἐκρεμάσθησαν. *Principes manibus suis suspensi sunt.*

5. Nomina *temporis*, quae ad quaestionem *Quando?* respondent, etiam in dativo cum ἐν, *in*, efferuntur (1); quae vero respondent ad quaestionem *Quamdiu?* casu genitivo cum διά, *per*, interdum gaudent (2).

(1) Ἔργον συναγαγεῖν σωρὸν ἐν πολλῷ χρόνῳ, ἐν δὲ ἡμέρᾳ μιᾷ διαφορῆσαι ῥᾴδιον: *Labor est cumulum congerere longo tempore, uno autem die illum dissipare facile est*. (2) Ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες, οὐδὲν ἐλάβομεν: *Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*.

6. Graeci genitivo absoluto interdum tum etiam utuntur, cum Verba a Latinis per modum conjunctivum vel optativum, praecedente Conjunctione *cum*, exponuntur.

Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις: *Cum adhuc ille loqueretur turbis*.

IN REGULAM III.

1. Adjectiva *partitiva*, et illa, quae sunt gradus comparativi, eorum genitivum cum ἐκ interdum admittunt (1); posteriora vero etiam in accusativo cum ὑπὲρ, *supra*, quandoque reperiuntur (2).

(1) Πολλοὶ ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθεισαν πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν, καὶ Μαρίαν: *Multi ex Judaeis venerant ad Martham et Mariam*. (2) Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι: *Filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*.

2. Non insolens apud Graecos est graduum enallage: hinc pro gradu comparativo positivus (1), et pro superlativo comparativus ab iis usurpari solent (2).

(1) Καλόν τὸ μὴ ζῆν ἐστιν, ἢ ζῆν κακῶς: *Melius est non vivere, quam male vivere*. (2) Πάντων τῶν καλῶν κάλλιον τὸ μνημονεύειν τοῦ Θεοῦ. *Omnium bonorum optimum est meminisse Dei*.

3. Adjectiva *commodi* casum genitivum aliquando minime recusant.

Καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω, μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν: *Sicuti et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis*.

IN REGULAM IV.

1. Pronomen ὅς, *qui*, attice et quoad casum cum antecedente Nomine vel Pronomine, ad quod refertur, convenit, nulla habita ratione Verbi sequentis (1): quinimmo praedictum antecedens haud raro minime exprimitur (2).

   (1) Ἐπίστευσαν λόγῳ, ᾧ εἶπεν Ἰησοῦς. *Crediderunt sermoni, quem dixit Jesus.* (2) Ἐξ οὗ ἤρξατο ἡ ἀπαρχὴ φέρεσθαι εἰς οἶκον Κυρίου: *Ex quo coeperunt primitiae afferri in domum Domini.*

2. Idem Pronomen relativum, si inter duo Nomina substantiva collocetur, cum posteriore potius, quam cum priore consentire poterit.

   Πολλάκις ψεῦδός ἐστιν, ἣν ἀλήθειαν οἱ ἄνθρωποι νομίζουσιν: *Saepe falsitas est id, quod homines veritatem putant.*

3. Idem Pronomen relativum ita interdum in eodem inciso Nomen antecedens involvit, ut hoc in eumdem casum, cujus est praedictum Pronomen, perquam venuste migret.

   Οὐκ ἔστιν, ὃν τινα εἰς μετάνοιαν οὐ καλεῖ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἁμαρτωλόν: *Non est peccator, quem Filius Dei ad poenitentiam non vocat.*

4. Idem Pronomen relativum elegantius Pronomen demonstrativum antecedit, quam illi subsequatur.

   Ἅπερ βέλτιστά ἐστιν, ἐκεῖνα μηδέποτε ἀμελεῖτε: *Quae optima sunt, ea nunquam despicite.*

IN REGULAM VII.

1. Verba *abundandi*, *dominandi*, *gaudendi*, *obtemperandi*, atque *participandi* regunt Nomina casus etiam dativi (1): Verba vero *gaudendi* Nomini casus dativi aliquando Praepositionem ἐπί praemittunt (2).

   (1) Τὰ τέκνα, ὑπακούετε τοῖς γονεῦσι: *Filii, obedite parentibus.* — Οὐδενὶ τοσοῦτον χαίρει ὁ Θεός, ὅσον ἀνθρώπου διορθώσει καὶ σωτηρίᾳ: *Deus nulla re tam delectatur, quam hominis emendatione et salute.* (2) Οἱ ἐπιχαιρέκακοι μᾶλλον χαίρουσιν ἐπὶ τοῖς τῶν

1024

ἄλλων κακοῖς, ἢ τοῖς ἰδίοις αὐτῶν ἀγαθοῖς. *Malevoli majorem voluptatem ex aliorum malis, quam ex propriis bonis capiunt.*

2. Verba *admirandi* construuntur etiam vel cum accusativo personae et genitivo rei, cui subintelligitur Praepositio ἕνεκα, *propter* (1), vel cum dativo una cum Praepositionibus ἐν, aut ἐπί (2).

(1) Θαύμαζε τοὺς ἀνθρώπους τῆς εὐλαβείας καὶ καλοκἀγαθίας: *Admirare homines propter pietatem et honestatem*. (2) Ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ: *Admirabantur turbae super doctrinam ejus*.

3. Verba ἀγαπᾶν et φιλέω, *amo*, accusativum tantummodo admittunt (1). Ποθέω vero, et ἐπιθυμέω, *appeto* (2), necnon Verba *consequendi*, ac *fruendi* praedicto casu gaudere possunt (3).

(1) Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς σεαυτόν: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. (2) Πολλὰ τῶν πραγμάτων ποθεῖ τὴν ὑμετέραν παρουσίαν. *Multae res vestram praesentiam desiderant*. (3) Τί ὄφελος, ὅταν ἡμεῖς κοπιῶμεν, καὶ ἄλλοι τὸν κόπον ἡμῶν ἀπολαύωσι; *Quae utilitas, si nos laboremus, alii vero labore nostro fruantur?*

4. Verba *curandi* dativum (1), vel accusativum non raro petunt (2).

(1) Μεριμνᾶτε ταῖς ὑμετέραις ψυχαῖς. *Soliciti estote de animabus vestris*. (2) Σὺ μερίμνησον τὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸς προνοήσεται τῶν σῶν: *Tu cura quae Dei sunt, isque de rebus tuis prospiciet*.

5. Verba *miserendi* dativum, vel accusativum, utrumque cum ἐπί (1), vel accusativum, a quo Praepositio supprimitur, interdum admittunt (2).

(1) Ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς: *Misertus est eorum*. — Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον. *Misereor turbae*. (2) Ἐλέησον ἡμᾶς, Κύριε: *Miserere nostri, Domine*.

6. Verba *privandi* quandoque accusativum tum personae, tum rei sibi adsciscunt, quorum posterior a κατά minime expressa regitur.

Ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν χλαμύδα. *Exuerunt eum chlamyde*.

7. Attici omnia Verba actionem cujuscumque sensus exprimentia cum accusativo construunt.

Ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον: *Gustavit architriclinus aquam vinum factam*.

8. Αἰσχύνομαι, *pudet*, etiam dativo gaudet.

Μὴ αἰσχύνου τῇ τοιαύτῃ ὑποταγῇ: *Ne te pudeat hujusmodi subjectionis*.

9. Verbum ἐστί, sumptum pro *est negotium proprium*, vel *est officium*, saepissime non exprimitur.

Ἐλευθέρου ἀνδρός τ' ἀληθῆ λέγειν: *Ingenui viri est dicere veritatem*.

10. Verbum εἰμί, cum ea significet, quae in superiore numero exposuimus, aliquando ante genitivum personae Praepositionem πρός admittit (1), in posteriore vero significatione vertit interdum πρός in ὑπέρ (2).

(1) Πρὸς ἀνδρός ἐστι νοῦν ἔχοντος φεύγειν τοὺς κινδύνους: *Prudentis est fugere pericula*. (2) Ὑπὲρ ὑμῶν εὐσεβεῖν. *Vestri officii est pietatem colere*.

11. Verba *accusandi* et *arguendi* praeter genitivum personae nonnunquam etiam genitivum rei et Praepositionem περί, interdum subintellectam, adsumunt (1). Eadem Verba genitivum personae in accusativum vertere queunt (2).

(1) Οὔτε παραστῆσαι δύνανται, περὶ ὧν νῦν κατηγοροῦσί μου: *Neque probare possunt ea, de quibus nunc me accusant.* — Εἰ δ' οὐδέν ἐστιν, ὧν οὗτοι κατηγοροῦσί μου: *Si vero nihil est eorum, quae hi me accusant*. (2) Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

12. Verba *emendi* cum Nomine, per quod *pretium determinatum* exprimitur, ita aliquando construuntur, ut illud in genitivo cum ἐκ expressa (1), vel in dativo exponatur (2), cui et Praepositiones ἀντί, vel ἐπί, vel πρός praefigi possunt (3).

(1) Ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν (ἀργυρίων) τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως: *Emerunt ex illis* (argenteis) *agrum figuli*. (2) Εἰδότες, ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ, ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε: *Scientes, quod non corruptibilibus, argento, vel auro redempti estis*. (3) Δόξη χρήματα κτητά, δόξα δὲ ἀντὶ χρημάτων οὐκ ὠνητή. *Gloria pecuniae comparari possunt, pecuniis vero gloria non emi possunt*.

IN REGULAM VIII.

1. Προσκυνῶ, *adoro*, saepius accusativo jungitur.

   Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις: *Dominum Deum tuum adorabis*.

2. Verba *confidendi* etiam accusativo personae cum πρός (1), vel dativo rei cum ἐπί gaudent (2).

   (1) Πέποιθεν πρὸς τὸν Θεόν: *Confidit in Deo*. (2) Τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare!*

3. Verba *incidendi* dativum in accusativum cum εἰς aliquando vertunt.

   Τίς τούτων τῶν τριῶν δοκεῖ σοι πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς; *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?*

4. Verba *precandi*, δέομαι interdum cum genitivo (1), et εὔχομαι cum accusativo et πρός construuntur (2).

   (1) Δεήθητε τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ. *Rogate dominum messis, ut emittat operarios in messem suam*. (2) Εὔχομαι πρὸς τὸν Θεὸν μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδέν: *Precor Deum, ne quid mali faciatis*.

5. Verba *admonendi* quandoque accusativum personae et genitivum rei cum περί, quae saepe demitur (1), vel accusativum personae et rei regunt, cui posteriori accusativo Praepositio κατά subauditur (2).

   (1) Διὸ οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων. *Propter quod non negligam vos semper commonere de his*. (2) Ὑπομίμνησκε σεαυτὸν τὸ θνητόν σου: *Mone te ipsum de tua mortalitate*.

6. Verbum impersonale πρέπει, *decet*, etiam accusativo quandoque gaudet.

   Πρέπει τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν: *Decet filios, ut opum, ita et amicitiae paternae haeredes esse*.

IN REGULAM X.

1. Verbum modi infinitivi, quod Verbo μέλλω, *futurus sum*, subsequitur, per tempus futurum fere semper efferri solet.

   Τὸ μέλλον συνοίσειν οὐκ ἀεὶ καθορῶμεν: *Quod profuturum est, non semper prospicimus.*

2. Ad exprimendum Latinorum supinum activum Graeci Verbum *motum* significans in participium temporis aoristi eleganter vertunt; aliud vero Verbum, quod ut supinum exponendum esset, ita vertunt, ut Verbum antecedens sese exhibere deberet.

   Ἐλθὼν θεραπεύω αὐτόν: *Veniam curatum eum.*

3. Praedictum supinum a Graecis etiam per participium vocis activae vel mediae temporis futuri nonnunquam indicari solet.

   Ἔρχομαι βλέψων: *Venio visum.*

IN REGULAM XII.

1. Latinorum gerundium in *dum* cum ~~Praepositione~~ *ad* praemissa, quoties *scopum* sibi vult, eleganter a Graecis vertitur in modum infinitivum, praecedente Conjunctione ὥστε, *ut*.

   Ὁ Χριστὸς ὥστε λυτρώσασθαι τοὺς ἀνθρώπους πολλὰ παθεῖν ἐβουλήθη: *Christus ad homines redimendos multa pati voluit.*

2. Gerundia in *dus*, *da*, *dum*, quae apud Latinos *necessitatem*, aut *officium* exprimunt, apud Graecos in modum infinitivum, sequente Verbo impersonali δεῖ, vel χρή, *oportet*, saepe migrant.

   Μὴ μόνον ἐπαινεῖν τοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς, ἀλλὰ καὶ μιμεῖσθαι δεῖ: *Boni viri non solum laudandi, sed etiam imitandi sunt.*

3. Attici verbali in τέος, τέα, τέον in plurali potius, quam in singulari numero, neutriusque generis utuntur.

   Οὐκ ἔστι σχεδὸν πιστευτέα τῶν θνητῶν οὐδενί: *Nulli fere e mortalibus amplius fidendum est.*

IN REGULAM XIII.

1. Quae in Regula XIII sub numero secundo tradidimus, eadem

praestari possunt, licet Latinorum Conjunctio *cum* regat Verbum ad modum conjunctivum, vel optativum cujuscumque vocis, ac temporis.

Ἰδὼν ἑκατόνταρχος τὸ γενόμενον, ἐδόξασε τὸν Θεόν: *Cum vidisset centurio, quod accidit, glorificavit Deum.*

2. Cum agens participii in eodem orationis membro adfuerit, idem agens, idemque participium in genitivum absolutum verti possunt.

Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔρχεταί τις παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου: *Cum is adhuc loqueretur, venit quidam ad principem synagogae.*

IN REGULAM XIV.

1. Adverbium εἴθε cum accusativo ac Verbo modi infinitivi etiam jungitur.

Εἴθε σε μὴ θνητοῖς γενέσθαι πῆμα ποθεινόν: *Utinam non esses mortalibus desiderabile exitium!*

2. Latina Adverbia, *tam*, *quam*, a Graecis etiam per repetitionem Conjunctionis καὶ, *et*, saepe efferuntur.

Εὐλαβεῖσθαι δεῖ πάντα καὶ τὰ δοκοῦντα, καὶ τὰ ὄντα αἰσχρά: *Cavenda sunt omnia, tam quae turpia videntur, quam quae talia revera sunt.*

IN REGULAM XVI.

1. Licet Conjunctio potentialis ἂν adhibeatur, ea tamen Verbum δύναμαι aliquando minime respuit.

Γύμναζε σεαυτὸν πόνοις ἑκουσίοις, ὅπως ἂν δύναιο καὶ τοὺς ἀκουσίους ὑπομένειν: *Exerce te laboribus voluntariis, ut et involuntarios perferre possis.*

2. Εἰ vim *interrogationis* nonnumquam habet (1); cum vero de jurejurando sermo sit, *negationem* exprimit (2).

Καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. *Quotidie scrutantes scripturas, an haec ita se haberent.* (2) Εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον. *Non dabitur generationi huic signum.*

3. Εἰ, cum *dubitationem* significat, modum indicativum postulat.

Ὁ τὰ βέλτιστα πράττων, καὶ τύχην ἀρίστην οἰόμενος ἔχειν, οὐκ οἶδεν, εἰ μενεῖ τοιαύτη μέχρι τῆς ἑσπέρας. *Qui felicissimus est, optimamque fortunam se habere putat, nescit an mansura sit talis usque ad vesperam.*

4. Ἵνα, ὅπως, et ὡς non raro, cum Verbum sit modi conjunctivi, subaudiuntur.

Ἑτέρως λυμήνηται, πείθειν ἐπιχειρεῖ. *Ut alia ratione noceret, suadere aggressus est.*

5. Ὅτι saepe redundat, praesertim cum verba alicujus referantur.

Καὶ ὡμολόγησεν, ὅτι ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὁ Χριστός. *Et confessus est: Ego non sum Christus.*

6. Ὡς saepe pro ὅτι adhibetur.

Μέμνησο, νέος ὤν, ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ. *Cum sis juvenis, memento te senem aliquando futurum.*

7. Ὡς et ὅτι Nomini vel Adverbio gradus superlativi praemissa significationem intendunt, Latinorumque voci *quam* respondent.

Ἔξελθ' ὡς τάχιστα εἰς τὰς πλατείας. *Exi quam citissime in plateas.*

8. Ὡς et ὥστε aliquando cum modo indicativo (1), vel infinitivo reperiuntur (2).

Οὕτως ὁ Θεὸς ἠγάπησεν ὑμᾶς, ὥστε τὸν Υἱὸν αὐτοῦ εἰς τοῦτον τὸν κόσμον ἀπέστειλε. *Sic Deus nos dilexit, ut Filium suum in hunc mundum miserit.* (2) Ὑψηλός ἐστι, καὶ οὕτως ὑψηλὸς ὁ μακρόθυμος, ὡς μὴ δέχεσθαι πληγὴν ἀπὸ τῆς βολῆς: *Sublimis est longanimitas, et adeo sublimis, ut a tela nullum vulnus accipiat.*

INDEX.

THEMATA

JUXTA PRAEDICTAS REGULAS, NECNON MONITA E LATINO IN GRAECUM IDIOMA VERTENDA.

JUXTA REGULAM I.

1. Ne obliviscamini amicorum defunctorum.
2. Venit Jesus ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. — Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam.
3. Amicis vestris in rebus honestis opitulamini.
4. Benignitas Dei te ad paenitentiam docit.
5. Perferre invicto animo adversa laudabilissimum est. — Discere non est vitiosum, sed ignorare reprehensione dignum.
6. Actio, quae vere bona est, in quocumque homine laudanda. — Vir, qui ad alienas dapes accedit, moderatus sit.
7. Tu es Christus Filius Dei vivi.
8. Spiritus sanctus ita novit ea, quae Dei sunt, ut spiritus hominis ea novit, quae in eo sunt.
9. Finis improborum fere semper miserrimus.
10. Non timebo a timore nocturno.
11. Scriptura recte facta justorum, eorumque imbecillitates narrat, ut has quidem fugiamus, illa vero imitemur.
12. Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.
13. Negligere bona, pravasque persequi actiones idem est.

JUXTA REGULAM II.

1. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.
2. Quam pulchra sunt tentoria tua, Domine!
3. Mons templi in excelsas silvas convertetur.
4. Qui in juventute corporis voluptatibus male utitur, in senectute tristitia angi solet.
5. Bonus pastor dat animam suam pro ovibus.
6. Quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech, alium sacerdotem surgere?
7. Cognovi, Domine, quia aequa *sunt* judicia tua.
8. Venerunt in domum Simonis et Andreae.

9. Iuvenes, qui probis moribus sunt, magnae reprehensionis argumentum scelestis senibus fiunt.
10. Vincenti dabo edere de ligno vitae. — Oleo caput meum non unxisti, haec autem unguento unxit pedes meos. — Et decem cornua, quae vidisti in bestia, ... ipsam igne concremabunt.
11. Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.
12. Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. — Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. — Obsecro vos, ut digne ambuletis cum omni humilitate, et mansuetudine, et patientia, supportantes invicem.
13. Mensus est civitatem arundine per stadia duodecim millia.
14. Paravit et duo candelabra fusa arte argentaria. — Principes manu suspensi sunt. — Jesus, Salvator noster, patria nazaraeus erat.
15. Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. — Annum totum conversati sunt in Ecclesia.
16. In latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum.
17. In Joppe fuit quaedam discipula, nomine Tabitha. — Volui a vobis deduci in Judaeam.
18. Nihil fit, inscio Deo, sed omnia quidem sciente, at non omnia efficiente.
19. Oportet, ut prompta, perfecta, hilarisque sit, juvenes, vestra obadientia.

JUXTA REGULAM III.

1. Quam instabiles sunt impiorum actiones!
2. Ne unquam falsitas, sed veritas semper sit in ore vestro.
3. An ignoratis, fratres, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?
4. Abrahamus dives pecoribus erat. — Christus neque cum descenderet, coelos, neque cum ascenderet, terram sua inspectione destitutam reliquit. — Operarius dignus est mercede sua. — Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. — Quodnam primum omnium mandatum est? — Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!
5. Loquimur sapientiam Dei latentem in mysterio, quam nemo principum saeculi hujus cognovit. — Multi discipulorum ejus abierunt retro. — Tanto melior Angelis effectus, quanto etc. — Avaro nihil est scelestius.
6. Pius si patitur, quae patitur impius, non fit similis impio, pi

enim castigatio afflictio et probatio est, impii vero flagella et poenae sunt. — Et datus est mihi calamus similis virgae.
7. Qui digni habebuntur saeculo illo, aequales Angelis sunt. — Scriptura nihil eorum tacuit, quae nobis utilia sunt. — Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.
8. In tuas pollicitationes ua praeceps sis. — Pietas ad omnia utilis est.
9. Putiphar optime noverat Dominum esse cum Josepho. — Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus docerem vos publice, et per domos.

JUXTA REGULAM IV.

1. Animam meam pro te ponam.
2. Ego sum vitis, vos palmites.
3. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis.

JUXTA REGULAM V.

1. Quis me eripiet ex isto corpore mortis? — Qui vult dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo. — Audivi vocem de caelo. — Et ego vivo propter Patrem. — Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. — Christus loco ciborum carne sua nos aluit, et loco potus sanguinem suum nobis propinavit.
3. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. — Vir quidam, nomine Ananias, cum Saphira, uxore ejus, vendidit agrum. — Jesus ibi morabatur cum discipulis suis.
4. Per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea. — Donec introducam illum in domum matris meae.
5. Loquebatur illis de regno Dei. — Johannes habebat zonam pelliceam circa lumbos suos.
6. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. — Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.
7. Omne regnum divisum contra se desolabitur. — Secundum tempus, quod exquisierat a Magis.
8. Ambulabunt mecum in albis. — Post haec invenit eum Jesus in templo.
9. Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. — Descendens Petrus de navicula, ambulabat supra aquas.
10. Vident Jesum ambulantem supra mare. — Omnia, quae Pharaonis erant, Joseph habebat in sua potestate. — Petrus sungens cucurrit ad monumentum.
11. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. —

In lege nemo justificetur apud Deum. — Ambulans Jesus juxta mare Galilaeae.

12. Qui non est mecum, contra me est. — Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. — Jube me ad te venire super aquas.

13. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. — Omnia subjecisti sub pedibus ejus. — Humiliemini sub potenti manu Dei.

JUXTA REGULAM VI.

1. Poenituit Deum, quod hominem fecisset super terram.
2. Scripturarum lectio caelorum reseratio est.
3. Multa sunt, quae Christianismum insigniunt.
4. Ab his tribus tertia pars hominum occisa est.
5. Juventutis aestus, ejusque indomiti impetus continentia coerceantur.
6. Descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus.
7. Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.
8. Unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. — Oratio prae quacumque alia re potentior est.
9. Non cujusvis donum Deo est acceptum, sed illius tantum, qui illud ex puro corde offert.
10. Non licet eos (*argenteos*) mittere in corbonam. — Fieri non potest, ut qui dissolutam vitam egerit, caelos consequatur.
11. Argentum et aurum non habeo: quod vero habeo, hoc tibi do.
12. Filioli, ne videamini esse nimis jocos amantes.

JUXTA REGULAM VII.

1. An divitias benignitatis Dei contemnis? — Memento Dei, et nunquam peccabis. — Portae inferorum non superabunt Ecclesiam. — Ne miremur praesentia, ut miremur futura: vel potius miremur futura, ne miremur praesentia.
2. Noli me tangere. — Vidit caelos apertos.
3. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. — Etsi dogmata sana habeamus, vitam vero negligemus, nullam ex dogmatibus utilitatem habituri sumus.
4. Impie se gerit, qui, cum peccaverit, Dominum accusat. — Vide in quantis te accusant.
5. Felix, qui Christum fortunis omnibus emit. — Potuit istud unguentum venundari multo.

6. Unaquaeque arbor de fructu suo cognoscitur. — Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.
7. Iniqui viri est damnare fratrem suum propter bonum opus. — Damnabunt eum morte.
8. Petierunt ab Aegyptiis vasa argentea. — Posui vos, ut fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.
9. Mementote sermonis, quem ego dixi vobis. — Memento Iesum Christum suscitatum ex mortuis.
10. Fides per se ad operandum non sufficit, sed et vita integra nobis opus est. — Eae preces juxta Dei legem fiunt, quae ea petunt, quae Deum decet dare. — Conveniens est, ut non solum Christiani vocemur, sed etiam simus; non enim, quod tales vocamur, sed quod tales sumus, beatos nos reddit.
11. Statim e conspectu eorum ablatus est mortuus.
12. Cum expurgemus animam omnibus pravis affectionibus, Christi participes fieri possumus.
13. Nihil mali a Deo creatum est, malitiam nos exeruimus.
14. A multis divitibus divitiae ex rapina et avaritia colliguntur.

JUXTA REGULAM VIII.

1. Sequere me. — Si cum malis versatus fueris, etiam ipse malus eris. — Quicumque irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicii. — Filioli, obedite in Domino parentibus vestris. — Ora Patrem tuum in occulto.
2. Hi cum Agno pugnabunt. — Accesserunt ad principes sacerdotum.
3. Quid dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat? Absit. — Velle adest mihi, quod bonum est perficere, non invenio. — Ne perturberis afflictione; Evangelio afflictio conjuncta est.

JUXTA REGULAM IX.

1. Humanitatis est non semper gratificari aegris, neque inordinatis eorum cupiditatibus blandiri.
2. David arma abjicit, et fide induitur; nudus quidem egreditur, at pietate loricatus.
3. Glorificamus Deum, non ei gloriam largientes, sed nosipsos immortali gloria induentes. — Oremus Deum, ut nos veteri homine exuat. — Summus sacerdos Jesum interrogabat de discipulis ejus, et de doctrina ejus.
4. Corporibus quidem aegri simus, animis vero invicti.

JUXTA REGULAM X.

1. Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos.
2. Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus.
3. Timebaut populum, ne lapidarentur.
4. Quisquis invocaverit nomen Domini servabitur.
5. Petrus sedebat cum ministris ad ignem, ut calefaceret se. — Summi sacerdotes quaerebant adversum Jesum testimonium, ut eum morti traderent.
6. Cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi.
7. Sanctis adhaereamus oportet, quia, qui illis adhaerent, sanctificabuntur.
8. Centurionis cujusdam servus male habens erat moriturus.
9. Homo post reliquas creaturas conditus est, eo quod eum statim a sui initio reliquorum omnium, tamquam subditorum regem esse oportebat.
10. Quid exitis in desertum videre?

JUXTA REGULAM XI.

1. Tertia die resurget.
2. Pater aeternus saepe per Prophetas pollicitus est se missurum Filium suum in hunc mundum.
3. Deus manifestatus est in carne.
4. Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud.
5. Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, tum etc.

JUXTA REGULAM XII.

1. Ingressus est manendi causa cum ipsis. — Deus potestatem habet eorum, quae facit, causas nobis revelandi, quas vult, et quas vult, abscondendi.
2. Solus supra omnia Deus vobis invocandus.

JUXTA REGULAM XIII.

1. Habitabant in Jerusalem Judaei, viri religiosi, ex omni natione.
2. Cum adhuc in terra versemur, terram relinquentes, spiritum nos ad caelestia ducentem sequamur. — Deus omnium eorum, quae orta sunt, et quae oriuntur, Creator et Dominus

est. — Spiritus est, qui vivificat. — Dignus est Agons, qui occisus est, accipere virtutem, etc.
3. Quod si frater tibi maledicere perseverat, cave, ne tu e charitatis proposito transferaris. — Spiritus carnem et ossa non habet, quemadmodum videtis me habere.
4. Non est pauper, qui nihil habet, sed qui multa desiderat; non est dives, qui multa possidet, sed qui non multis egat. — Qui odit increpationes, insipiens est.
5. Ego veniam, et curabo eum.

JUXTA REGULAM XIV.

1. Quaerite primum regnum Dei. — Ne estate solliciti de crastino.
2. Homines maligni nulla tranquillitate fruuntur, sed omni pelago vehementius turbantur.
3. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.
4. Omnes prophetae et ipsa lex usque ad Johannem prophetarunt. — Neminem videns praeter mulierem.
5. Una cum improbis vitam degere, juvenibus praesertim, magno detrimento semper fuit.
6. Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis.
7. Utinam mortui essemus, peremsi a Domino in terra Ægypti! — Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae.
8. Dum divitiae tibi adsunt, calamitosum juva. — Donec transeat caelum et terra.
9. Ærumnosus, donec immutentur, quas illum tristitia afficiunt, fortiter se gerat.
10. Antequam ipsi convenirent, inventa est gravida.
11. Quemadmodum mihi mandavit Pater, ita facio.

JUXTA REGULAM XV.

1. Euge fili hominis. —. Sobrii estote, et vigilate.
2. Utinam mihi Deus in adjutorium semper sit.
3. Per Deum vivum, quod non mentiar.
4. Hei mihi! quamdiu vos patiar?
5. Veh homini illi, per quem Filius hominis tradetur.
6. Hen mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem!
7. O beatum latronem! rapuit quidem in mundo latrocinando, sed et regnum caelorum rapuit confitendo,

JUXTAM REGULAM XVI.

1. Sicut accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulata, radicati et superaedificati in ipso, et confirmati in fide.
2. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipiu vobis. — Non potuisti una hora vigilare mecum.
3. Si Filius Dei esses, dejiceres teipsum deorsum. — Si primi nostri parentes mandatum Dei minime transgressi essent, nec Deus quidem eos e Paradiso unquam dejecisset.
4. Simeon responsum acceperat a Spiritu sancto se non visurum mortem, nisi etc.
5. Si opes custodis, nihil habes; si eas spargis, nihil amittis. — Etsi mortuus resurgeret, etsi Angelus e caelo descenderet, omnibus tamen fide digniores Scripturae essent. — Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.
6. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, etc. — Hac solum ratione nemo unquam labitur, si Deum sibi semper adesse putet.
7. Quoniam mortale corpus, animam autem immortalem nactus es, da operam, ut animae immortalem memoriam relinquas.
8. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum. — Ideo patriam non habemus in terra, ut possessiones terrenas contemnamus. — Christus secundum carnem nostram pauper factus est, ut nos divinitate ejus locupletaret. — Consilium coeperunt, ut eum perderent. — Mundus artificiosa structura est, omnium contemplationi exposita, ut per illam Creatoris sapientia cognoscatur.
9. Bonus quidem pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius vero, cujus non sunt oves propriae, videt etc.
10. Ne irascaris, Domina, satis, at ne ultra memineris iniquitatum nostrarum. — Iis, quae scripta sunt, crede, ea, quae non scripta sunt, na quaeras. — Cave, ne facinorosa agas.
11. Diabolus in veritate non perstitit, eo quod veritas non est in eo. — Johannes ita venerabilis erat, ut etiam ille, qui eum interfecit, eum timuerit.

JUXTA MONITA

QUOAO REGULAM II.

1. Facies arcam de ligno.
2. Propter quod obsecro vos. — Existimo hoc bonum esse proptm instantem necessitatem.
3. Coeperunt loqui variis linguis.
4. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens.
5. Omnes scandalizabimini in me in nocte ista. — Muri Sion, deducite quasi torrentem lacrymas per diem et noctem.
6. Cum autem Paulus vellet ire in Achajam, etc.

QUOAO REGULAM III.

1. Nemo ex vobis interrogat me. — Quemadmodum eo, qui auxilio caelesti utitur, nihil fortius; ita auxilio illo orbato nihil infirmius. — Pulchriora sunt ubera tua vino.
2. Beatius est dare, quam accipere. — Quemadmodum ex omnibus cibis panis maxime necessarius, ita ex omnibus actionibus meditatio mortis.
3. Quamdiu Deum nobis propitium habuerimus, nos expugnare poterit nemo.

QUOAD REGULAM IV.

1. An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quam a Deo habetis?
2. Conformare se Christo opus est, quod stultitia a mundo censetur.
3. Omnia Pater subjecit Filio, quem constituit heredem universorum.
4. Is maxime seipsum novit, qui seipsum nihil esse putat.

QUOAO REGULAM VII.

1. Ad hoc Christus et mortuus est et resurrexit, ut et mortuis et vivis dominetur. — Charitas non gaudet iniquitate. — Quid juvat corpore jejunare, animam vero innumeris peccatis repletam esse?
2. Martyrum constantiam vel ipsi Gentiles mirari coacti fuere. — Mirati in responso ejus, siluerunt.

5. Diligite inimicos vestros. — Non concupisces uxorem proximi tui. — Felix es, si bonis, quae a Deo consecutus es, prudenter frueris.
4. De vestimentis quid solliciti estis? — Curam habe de bono nomine.
5. Domine, miserere filio meo. — Qui pereuntem videt, interitum vero ejus non miseretur, zelum pietatis ignorat.
6. Etsi bonorum omnium jacturam sufferamus, nemo autem pietate nos privet, omnium beatissimi sumus.
7. Cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi.
8. Ne te pudeat bonorum operum.
9. Christianorum omnium officium est Christum palam confiteri.
10. Cujuscumque Pontificis ex hominibus assumpti officium est, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.
11. Quis fratrem suum de peccato, quod ille minime patravit, accusare audebit? — Ne accuses servum apud dominum suum.
12. Prudens dispensator est, qui paucis opibus multa emit, caelum veste, regnum pane, et poculo frigidae futura bona. — Deus Ecclesiam proprio sanguine emere voluit. — Anima, quae peccaverit, offeret Domino arietem, qui emi potest duobus siclis.

QUOAD REGULAM VIII.

1. Pulchrum est caelum, sed ut adores ejus Conditorem.
2. Haud exigua virtus est in Deo confidere. — Qui suo beneficiis non confidit, salutis spem in misericordia Dei tantummodo collocatam habet.
3. Timentes, ne in aspera loca inciderent.
4. Precor Deum, ne quid mali facias. — Quomodo cum libertate Deum precari poteris, cum in eum peccatum peccaveris?
5. Admonuit eos de auxiliis Dei, quae facta sunt erga parentes. — Quanta admonent Judaeos de eorum caecitate!
6. Sola haec superbia Christi cultores decet, ut nulli turpi rei serviant.

QUOAD REGULAM X.

1. Praedictio Christi non adducit scandala, neque quia praedixit, propterea fiunt, sed quia omnino eventura erant, ideo praedixit.
2. Venit Maria Magdalene et altera Maria visum sepulchrum.
3. Cucurrit puella nunciatum matri suae omnia, quae audierat.

QUOAD REGULAM XII.

1. Si ad serviendum Deo vitam vivimus, curnam sinemus, ut Diabolus nobis dominetur?
2. Domine, revela quaenam nobis pro tuo sancto nomine facienda sunt. — Non sunt inquirenda, quae Scriptura tacet, sed veneranda, quae scripta sunt.
3. Mementote, quod nobis omnibus moriandum est, et nunquam peccabitis.

QUOAD REGULAM XIII.

1. 2. Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos.

QUOAD REGULAM XIV.

1. Utinam solus periisset in scelere suo!
2. Tolles tecum ex omnibus ejus, quae mandi possunt, et erunt tam tibi, quam illis in cibum.

QUOAD REGULAM XVI.

1. Repleti omni scientia, ut possitis alterutrum monere.
2. Videte, an mentiar. — Quid erit de impio? Aman dico vobis, non videbit ille gloriam Domini.
3. Circuite vias Jerusalem, et quaerita in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, etc.
4. Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnam vivamus.
5. Festus respondit ad principes sacerdotum: Non est Romanis consuetudo damnare aliquem, prinsquam etc.
6. Manifestum est, quod Angeli circumscriptam habent essentiam.
7. Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, cui dubium est, quod quam pessime cogitetis.
8. Quis adeo bonus, ut vitiositatis maculam effugiat? — Nullius rei rationem habeo, ut cursum meum cum gaudio consumem.

FINIS

